



**Quæstionum Canoniarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Qvæstio XV. In Titulum XV. De Sagittariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

versarius hac denuntiatione speratâ, & neglectâ, petitioni locum dare recusabat, simul bellum indicabatur per Feciales. Et hunc indicendi belli modum, *diffidationem* vocabant; id, quod etiam in Germania nostra vigeat, *da das Faust-Recht noch galte* / ut notat Lehman in Chronic. Spirens. l. 5. c. 112. apud Besold. in Thesaur. practic. sub lit. A. V. *Absagung/ Feind-Brieff/* ubi definitur, quod sit *denuntiatione animi hostilis*, quâ quis alii cuiuspiam significat, se eum armis, igne, spoliis & rapinis persecuturum.

At post pacem publicam sancitam, wann einer einem absagt / oder ihm Feindschaft zuschreibet / oder Brand- Zeichen steckt / und ihne mit Raub /

Brand / Mord / zu beschâdigen bedraut / und beschdet / solches wird für hochstrâffliches Zehden geachtet / teste Joachim. à Beust. ad L. admonendi 31. n. 1179. verf. *quia verò* ff. de iurejur. Diffidationem vocant Authores communiter speciem violatæ pacis publicæ; ut tamen propriè talis sit, non sufficit; quòd diffidatus sit persona singularis, seu privata; aut diffidator alteri certum præcisè genus damni minetur; quia diffidatio debet generaliter mala quæcunque hostilia minari, alioquin habenda sunt illa dicta pro minis, & non pro diffidatione, nec ut talis punienda. Sed de his V. Haunoldum tom. 6. de Jure & Just. tr. 2. à n. 159.



QVÆSTIO XV.

IN TITULUM XV. DE SAGITTARIIS.

937 **B**Arbosa hic n. 2. per *Sagittarios* intelligit eos, qui fœdere cum dæmone inito, ei devotent corpus, & animam, si longissimè distos ferire, & trajicere possint, quos voluerint. Pirhing h. t. illos, qui exercent artem in jaciendis sagittis. Zoësius autem eos, qui in bello exercent usum in saxis, & sagittis jaciendis. Probabilius est

juxta hunc postremum sensum hîc accipi *Sagittarios*; & hujus artis exercitium in c. unico h. t. prohiberi Christianis sub pœna excommunicationis adversus Christianos in bello justo; in bello enim justo contra injustè bellantem uti licet quibuscunque armis, uti etiam in bello, quod Christiani justè gerunt contra infideles.



QUÆSTIO XVI.

IN TITULUM XVI. DE ADULTERIIS, ET STUPRO.

938 **A**dulterium est alieni thori violatio, c. fin. 32. q. 6. Si Vir conjugatus peccet cum soluta, est *adulterium simplex, ex parte Viri tantum*; si solutus peccet cum conjugata, est *adulterium simplex ex parte femine tantum*: si peccet conjugatus cum conjugata, est *adulterium duplex*, nimirum ratione utriusque, quod verum est, licet mu-

lier, vel vir sit tantum sponsus, vel sponsa de presenti; non autem, si solum de futuro. Not. autem in dictis casibus ejusmodi peccatum, *de jure canonico*, semper censeri adulterium, etiamsi unus peccantium sit solutus: *de jure autem civili*, solus concubitus mulieris conjugatæ cum soluto, vel alieno conjugato dicitur adulterium *per ordinem ad pœnas*, jure decretas in adulteros. Sic Julius Clarus l. 5. sentent. V. *adulterium*,

Tom. V.

Cc

n. 2.